AUGUSTINUS
Österreich (Admont?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 70r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26101
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lui. et consummauit ea propter omnium generum numerationem. et inchoauit
propter seculorum propagationem. ut propter consummata requiescet. propter inchoata
usque nunc operetur. Sed si possunt hec melius intelligi. non solum non resisto. uerum
etiam faueo. Nunc tamen de anima quam deus inspirauit homini sufflan
do in eius faciem nichil confirmo. nisi quia ex deo sic est ut non sit substantia dei. et sit
incorporea. id est non sit corpus. sed spiritus non de substantia dei genitus. nec de substantia dei pro
cedens. sed factus a deo. et ita factus ut in eius naturam natura nulla corpo
ris uel irrationalis anime conuerteretur. ac per hoc de nichilo. et quod sit immorta
lis secundum quendam uite modum. quem nullo modo potest amittere. secundum
quandam uero mutabilitatem qua potest uel deterior fieri uel melior. non immerito
et mortalis possit intelligi. quoniam ueram immortalitatem solus ille
habet de quo proprie dictum est. qui solus habet immortalitatem. Cetera que in
hoc libro disceptando locuti sumus. ad hoc ualeant legenti. ut aut no
uerit quemadmodum sine affirmandi temeritate querenda sint que non aperte
scriptura loquitur. aut si ei querendi modus iste non placet. quemadmodum
ipse quesierit sciat. ut si me potest docere non abnuat. si autem non potest a quo
ambo discamus REQUIRAT. EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

ET PLANTAVIT DEUS paradysum INCIPIT OCTAVUS.
in eden ad orientem. et posuit ibi hominem quem finxerat. Non
ignoro de paradyso multos multa dixisse. tres tamen de hac
generales sunt sententie. una eorum qui tantummodo corporaliter paradysum intel
ligi uolunt. alia eorum qui spiritaliter tantum. tercia eorum qui utroque modo paradysum
intelligunt. alias corporaliter. alias autem spiritaliter. Breuiter ergo ut dicam
terciam mihi fateor placere sententiam. Secundum hanc suscepi nunc loqui de para
dyso quod dominus donare dignabitur. ut homo factus de limo quod utique corpus hu
manum est corporali in paradyso collocatus intelligatur. ut quemad
modum ipse adam et si aliquid aliud significat secundum id quod eius formam fu
turi dixit esse apostolus. homo tamen in natura propria expressus accipitur. quod uixit